



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas III. An veritas in Effendo sit etiam formale Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

ita se habet, quia ego sum veritas prima in cognoscendo.

PROBATUR TERTIO. Si veritas prima in cognoscendo non ingrederetur formale fidei, possem dicenti Deo: Crede, hoc dicere: Nescis quid dicas, & tamen vis me credere; siquidem veritas illa in cognoscendo, non spectaret ad creditionem. Et tamen impium est dicere Deo: *Nescis quid dicas.*

OBJICIT PRIMO in contra Rosinct. Posita sola veritate in dicendo, ceteris omnibus per possibile vel impossibile ablati, habetur sufficiens fundamentum firmiter credendi: repugnaret enim Deo revelare id, quod falsum est.

RESPONDETUR. Ex dictis supra. Negando debere talem conceptum formari veritatis in dicendo. Sed illo etiam formato, nondum illa veridicitas ex dictis supra, erit ultimum resolutionis fidei, nec esset fundamentum, firmiter, secundum dignitatem assensus certissimi, credendi.

OBJICIT SECUNDO. Si haberet homo potentiam locutivam, ita alligatam ad verum, ut non posset loqui, nisi id quod est à parte rei verum, haberemus sufficiens fundamentum illi credendi, licet posset falli in cognoscendo.

RESPONDETUR. In casu antecedentis, non fore sufficiens fundamentum secundum dignitatem assensus certissimi credendi illi homini: loqueretur enim ut psittacus supra descriptus. Paritas etiam non tenet: quia nihil esset reperire in homine illo in linea veri, in quod resolveretur illa veridicitas. Sed solum resolveretur in principium extrinsecum: Deum determinantem. Jam autem illa veridicitas Divina, posset resolveri in verinoscivitatem. Cur non enim: si potest resolveri in verinoscivitatem, sola, non erit ultimum resolutionis fidei, de quo hic.

OBJICIT TERTIO. Licet Deus per impossibile non esset supremus Dominus, adhuc haberetur formale fidei: Ergo etiam haberetur, quamvis non esset infallibilis in cognoscendo.

RESPONDETUR disparitas est. Quia formale fidei in ratione veri seu causæ assentiendi, non potest resolveri in Dominum, & alias proprietates; potest autem veridicitas in linea veri, resolveri in Verinoscivitatem, inquirendo enim cur non tantum verè, sed etiam verum dicat Deus: potest respondere verè cognosco, & si non posset hoc respondere, esset alia veritas prima, & aliud Credo seu fides, ob mutationem formalis sui, quod est veritas prima.

OBJICIT QUARTO Veritas in dicendo dupliciter cogitari potest, formalis quæ includit veritatem non dicens aliter, quam sit in mente; & hæc potest consistere cum mendacio materiali. Et alia veritas in dicendo materialis, quæ ex se non potest inclinare nisi in id, quod est in re verum; & huic est per Accidens, sive sit in mente loquentis, taliter, qualiter enuntiatur, sive non; huicque veritati innititur fides.

RESPONDETUR ex dictis. Non dari ullam materiale acceptionem veritatis in dicendo; & quamvis daretur non fore ultimum resolutionis fidei, in linea veri. Et certe quæro: An defacto non possit resolveri hæc veridicitas materialis in verinoscivitatem? Si non potest resolveri, cur non? cum de facto detur verinoscivitas in Deo. Si potest resolveri, resolveretur: ad eum modum; quo si resolveri potest risibile in admirativum, resolveretur hoc ipso, frustra que esset fingere risibile irresolubile. Ergo & in presenti idem dicendum.

OBJICITUR QUINTO. Locutionem Dei significare quidem conceptum infallibilem Dei; hoc tamen est per accidens, respectu infallibilitatis fidei; quia hæc infallibilitas maneret, licet Deus non foret per impossibile infallibilis, in cognoscendo.

RESPONDETUR. Non esse id per accidens ad infallibilitatem fidei in linea vera. Quia si locutio ipsa Divina quæ debet esse ultimum resolutionis, resolveretur in verinoscivitatem, etiam fides in eandem resolveretur. Et sicut illa locutio non maneret eadem, quæ nunc est, si nunc resolveretur in verinoscivitatem, & postea non resolveretur: sic nec fides esset eadem, si defineret resolveri in verinoscivitatem: ad eum modum, quo non maneret eadem risibilitas, si non resolveretur in admirativitatem.

DIFFICULTAS III.

An veritas in Essendo sit etiam formale fidei.

PRÆMITTENDA sunt aliqua, postea de ipso titulo discurrendum.

Punctum Difficultatis 1.

Explicatur Veritas prima in Essendo.

PRÆMITTO PRIMO. *Veritatem primam in essendo dupliciter spectari posse. In primis* sumendo illam pro veritate, quæ est attributum entis, & secundum quam Deus ut loquitur Ripalda dis. 2. n. 8. chymericæ Divinitati repugnat, & indubiè sic sumpta veritas prima in essendo, non est objectum formale fidei: quia ad assentiendum fidei Divina, non videtur quomodo pertineat, proprietates emanans, ex ipsa conditione Entis. *Secundo* potest sumi veritas prima in essendo, pro eo, quod Deus sit veritas per essentiam, pro eo quod est Deum esse radicem veritatis primæ in cognoscendo & dicendo; pro eo quod est illam esse quid primum & absolutum de linea & in linea veri. *Hinc.*

PRÆMITTO SECUNDO. *Quomodo explicari debeat veritas prima in essendo.*

EXPLICATUR PRIMO. Ille terminus quod scilicet veritas prima in essendo, sit veritas, quæ essentialiter sit Deus; ita ut Deo competat per essentiam, esse veritatem. Ea solum prædicata in creatis dicuntur esse essentialiter vel per essentiam,

sentiam, quæ identificantur; & ita dicitur homo per essentiam, esse admirativus, risivus; quia hæc omnia identificantur essentia hominis, non dicitur autem homo esse per essentiam risus vel admiratio: quia hæc sunt rationes non identificata homini. Et ratio est, quia si identificantur essentia, sunt essentia. Si sunt essentia, sicut essentiale est essentia esse essentiam, & per essentiam est essentia, ut sit essentia; ita & prædicata identificata essentia, erunt essentia, & per essentiam convenient. Quia autem veritas quæ est conformitas menti & objecto, oppositioque positiva ei, quod est difformitas rei & notitia, est prædicatum identificatum, sicut & reliqua essentia Divina. Ideo in Deo veritas prima descripta, essentialiter erit DEUS; competetque Deo per essentiam, esse illam veritatem primam. Revolvendo autem mentem ad creatura. Quamvis certum sit ea quæ sunt identificata esse essentialiter illa ipsa, competereque per essentiam. Multa nihilominus sunt, quæ nec identificantur, nec competunt per essentiam, quantumvis in se non dicant imperfectionem; id ipsum deponente natura entis limitati & finiti in perfectione. Porro Deitas habet quidem titulo identificationis, ut illi prædicata sua per essentiam convenient; insuper ut illi identificentur, habet titulum illimitati Entis, essentiaque perfectissima in ratione essentia. Quam rationem Patres appellant pelagus essendi. Cum autem nomine essentia veniat id, per quod intelligitur res in suo esse constitui; si posito defectu cujuscunque perfectionis, nondum intelligitur res illa in suo esse constitui, certe illa perfectio erit in re essentia, competetque per essentiam. Quia autem positis omnibus prædicatis perfectionibusque Divinis, nondum intelligitur constitutus in suo esse DEUS, nisi sit veritas prima, sit ut illa veritas, sit essentialiter DEUS, seu essentia Dei; esseque illam veritatem, competet per essentiam Deo; ita ut si compareretur illa veritas ad Deitatem infinitas perfectiones continentem, quæ etiam constituunt esse DEI, dicatur esse de essentia, eo quod compareretur tanquam contentum ad continens. Si autem compareretur titulo identificationis erit ipsamet essentia Dei: quia identificatio non habet unum cui identificetur, & aliud quod se identificet; sed utrumque est identificatum, & cui identificatur; eo quod identificatio sit unitas, unitas autem indivisio, indivisio autem quæ talis, non habet divisionem: consequenter nec partitionem In quod & Cui. Ideo identificatio spectato titulo identificationis, non habet Cui identificetur, & Quod non nisi identificetur: consequenter & veritas prima, titulo identificationis, non tantum erit de essentia Dei sed & essentialiter Deus, & hunc Deum, secundum quod est essentialiter veritas prima, & secundum quod est essentialiter Deus, illa veritas, dicimus esse For-

male fidei; hancque ipsam formalitatem, vocamus Veritatem primam in essendo, quod est explicandum.

EXPLICATUR SECUNDO. Veritas prima in essendo, secundum hoc terminum, quod sit ultimum resolutivum: Quare Deus est veritas. Resolubilitas prædicatorum & perfectionum non solum Creatis sed & Divinis competit, ostendit hoc inductio, quia non tantum risibile in admirativum, admirativum in rationale formaliter, rationale formaliter in rationale radicaliter resolvitur; sed & Creativitas ex nihilo in omnipotentiam, omnipotentia in illimitatorem resolvitur, & sic de reliquis. Ratio est: quia resolubilitas nihil est aliud, nisi nexos prædicatorum in aliqua determinata serie, quorum unum supponit aliud, deveniendo ad unum, alterius non suppositivum in illo genere: quæ omnia simul & sigillatim sumpta, cum nullam involvant imperfectionem, convenient Deo, adeoque & ipsa resolubilitas prædicatorum convenient Deo. Ex qua ipsa definitione adhuc aliquid resolvi possit, & aliud ut sit ultimum resolutivum; debet in primis esse inter illa aliter aliqua: quia cum unum resolvatur in aliud, ex ipsa exigentia ipsius ly unum & aliud pluralitas requiritur: quia pluralitas definitivè est, unum & aliud. Accipiendoque resolutionem Physicam quæ est resolutio manifesta: sicut in illa datur terminus, à quo fit resolutio, & id ad quod fit, qui termini sunt duo, adeoque pluralitatem involventes; ita & hæc proportionata resolutio, pluralitatem deposcet.

Deinde ad eandem resolutionem requiritur ut sint aliquo modo idem, seu ex eadem serie ostendit hoc inductio. Et ita Ubiquitas Deitæ resolvitur in Immenstatem, non in Prædestinativitatem, & Creativitas resolvitur in Omnipotentiam, non in Immenstatem, & Ratio est: quia cum hæc resolutio, sit resolutio emanatum emanatum, cum autem omne principium cum eo cuius est principium, debeat esse aliquo modo idem, ratio illius communis perfectionis, qui emanans continet perfectionem emanati. Si autem habent communem perfectionem; debent esse aliquo modo idem. Denique ad resolutionem requiritur ut deveniatur ad aliquod primum in illo genere, quod probat Inductio. Nam rationale radicaliter est primum in linea hominis probat proportio ad resolutionem metaphysicam notam: quia etiam in Physicis resolutio est in materiam Physicam; materia autem Physica est subiectum primum. Cumque resolutio Physica fiat in primum; proportionata ei resolutio Metaphysica, debet etiam esse in aliquod primum. Ratio quia hæc resolutio sit in principia, & cum non detur processus in infinitum in causis & principiis; habebunt illa tantum consummabilem; si consummabilem, habebunt talem, ut deveniri possit ad primum.

Que omnia sic ad presens applicantur.

Sic competit aliis Divinis predicatis & perfectionibus resolutibilitas, comperet & Veritati. modo duntur plures termini cum aliqua communicatione in eadem serie, deveniaturque usque ad primum in illo genere: hoc autem totum in presenti habetur: quia inter veritatem in dicendo, & cognoscendo est manifesta alietas; inter autem illas veritates, & veritatem in essendo, est alietas non minor saltem, quam sit inter rationale formaliter; & rationale radicaliter; inter quæ tamen est alietas. Datur item communicatio: quia omnia adunantur in Prædicato Veritatis, deveniaturque tandem ad primum: quia deveniatur ad radicem illius utriusque veritatis; idque in linea veritatis. Si deveniatur ad radicem; deveniatur ad primum: hoc ipso enim non esset radix in illo genere; si non esset primum in illo genere. Consequenter veritas prima in essendo cum servet resolutorii conditiones, erit resolutorium. Unde si quæritur quare credendum Deo dicenti? respondebis, quia est verax in dicendo. Si quæritur, verè quidem dicit, sed restat quærere an vera? respondebis dicit vera: quia est veritas in cognoscendo; restat quærere, unde habeatur quòd Deus sit verax utroque modo? Responderi potest; quia est veritas per essentiam; & emanativus illarum veritatum, ex vi primæ veritatis in essendo. Et sic sumpta veritas prima, nempe ita resolutiva utriusque, dicitur à nobis esse Veritas prima in essendo; de qua quæritur an sit ratio formalis *Que fidei quo erat explicandum.*

EXPLICATUR TERTIO. Quod veritas prima in essendo, sit veritas absoluta, essentialiter conveniens Deo, supra quam fundantur veritates respectivæ, nempe, veritas in dicendo, & cognoscendo. Ratio veri ut sic, communis ad veritatem, tam quæ est attributum, quam quamcunque aliam videtur definitivè esse *Ratio ipsius ita, sicut*; Quod probatur; quia si unicuique particulari veritati & speciei, est quid commune, ut dicat rationem *Ita Sicut*; hoc ipso ratio illa, est generica: quia prædicabitur de pluribus specie. Rursus impossibile est etiam concipere veritatem sine conformitate, conformitas autem ipsa, est ratio ipsius *Ita Sicut*; hinc fit, ut sit impossibile est, concipere veritatem sine conformitate, ita nec sit possibile concipere sine ratione ipsius *Ita Sicut*. Cum autem ipsum *Ita, Sicut* non solum sit relativum, sed etiam absolutum. Unde duo *Ita, Sicut* in ratione albedinis, non tantum dicunt similitudinem; sed & duas albedines, hoc est, *Ita, Sicut* utriusque qualitatis, quæ duæ qualitates sunt quid absolutum. Consequenter etiam ratio ipsius *Ita, Sicut* veritatis, non solum erit quid relativum, sed etiam absolutum. Quod etiam respicit illud principium, quod relativa fundentur in absolutis; quibus positis duo præstanda sunt. Dividendi est

veritas ut sic, deinde advertendum, an tandem in Deo ipso deveniatur ad veritatem in essendo eamque absolutam atque adeò primam. *Ratio ipsius ita, Sicut* seu veritas, dividitur in attributivam & intentionalem? Attributiva est, quæ sequitur ubique conditionem Entis. Intentionalis autem veritas est, quæ sequitur intentiones & intentionativa. Suppono autem nomine intentionum, venire intellectiones & volitiones; intentionativa autem erunt intellectiva & volitiva. Dividendo ipsam veritatem intentionalem possumus illam dividere in veritatem intentionalem respectivam & absolutam. Intentionalis respectiva, adhuc dividi potest in veritatem in dicendo, seu dicentem. *Ita sicut est in notitia*, & in veritatem in noscendo seu importantem *Ita notitia* ad *Sicut* objecti, quæ veritates sunt respectivæ; quia concipiuntur ad aliud, & tanquam potentia ad actus. Dividitur deinde in veritatem absolutam. Cur enim hæc divisio repugnat? præcipuè respectu DEI; sub cuius nomine absolutæ veritatis, in Deo venit, ex acceptione termini, Veritas in essendo; & quia absoluta semper sunt prima, comparatè ad respectiva. Et hanc veritatem primam, dicimus etiam esse rationem formalem Quæ fidei, supra quam fundatur & veritas in cognoscendo & veritas in dicendo; tanquam veritates respectivæ supra absolutam. Quæ cum non sit accidentalis Deo, erit non utcunque veritas prima; sed veritas prima in essendo, & per essentiam; de quo quærebatur.

ADDO his omnibus. Non sufficere recursum ad veritatem primam in cognoscendo radicaliter sumptam; quia ly radicaliter, in explicandis conceptibus, illi formalitati addi debet, quæ ex modo concipiendi, non habeat in illo genere priorem. Unde nec rectè definitur homo per admirativum radicaliter sumptum; quod etiam aliàs est probatum. Jam autem veritate prima in cognoscendo, datur prior prior formalitas veritatis primæ in essendo.

PRÆMITTO TERTIO. *Licet Antiqui Scholastici non resolverint fidem in veritatem primam in essendo explicitis terminis; implicitis tamen, & æquivalentibus resolverunt*: quia resolverunt fidem in veritatem primam, nomine autem veritatis primæ, venire strictè veritatem primam in essendo, ostendunt adlatæ explicationes. Unde etiam S. Thomas hic quæst. 1. art. 1. pro objecto formali fidei ponit veritatem primam, sine addito. Primitas autem ex dictis competit veritati in essendo. Et inferius q. 17. art. 5. docet, quod in qualibet virtute Theologica, formale objectum ejus, debeat esse regula in suo ordine suprema, & non indigens aliâ, ut in Charitate summa bonitas, in Spe summa fidelitas, in Fide summa veritas; summa autem erit, si complectatur veritatem in essendo.

Pun-

Punctum Difficultatis 2.

Proponitur & probatur Conclusio.

DICENDUM est veritatem primam in essendo supra explicatam, ingredi etiam rationem formalem fidei. Est Conclusio quam videtur in re docere Aureolus in quantum in motivo fidei, recurrit ad Deitatem. Videtur etiam illam in re tenere Ripalda disp. 2. num. 103. sub finem.

PROBATUR Primo Conclusio. Ratio formalis fidei, debet esse summa veritas, hoc est talis, quæ in ratione veritatis, nec major nec dignior dari possit. Sed talis non esset, si rationem formalem fidei, veritas in essendo non ingrederetur. Ergo. Major probatur. Tum quia fides Catholica ex vi conceptus sui, adeo est infallibilis, ut non magis sit impossibile DEUM non esse, quam fidem Catholicam infallibilem non esse. Jam autem summa infallibilitate, est necesse, DEUM esse. Tum quia Omnis alia veritas, quæ non est omnino maxima; sed est minor maxima, est veritas secunda, consequenter non Divina, & ulterius debita alicui creaturæ, tandem non principium virtutis Theologicæ. Tum quia citatus S. Thom. quest. 15. Art. 5. ad 2. docuit formale objectum seu mensuram virtutis cujuscunque Theologicæ esse supremam ac primam in suo ordine, hoc est, quæ ante se aliam non habeat, per quam regulari & mensurari possit. Minor principalis probatur, quia Veritas quæ includit in suo conceptu etiam veritatem in essendo, est major & dignior in ratione veritatis, quam sit ratio quæ includeret solam veritatem primam in dicendo & cognoscendo, quod ipsum probatur. Tum quia si per impossibile istæ duæ veritates darentur, absque illa tertia, non essent æquæ dignæ, quam si essent unitæ veritati primæ in essendo: nam hæc, se sola, adfert aliquid, quod duæ illæ priores non dicunt. Tum quia veritas in cognoscendo & dicendo, est dignior sola veritate prima in dicendo. Ergo etiam veritas prima in essendo, dignior erit, quam illæ duæ solæ. Tum quia etiam scientifico quæ tali, convenit esse veracem in dicendo & cognoscendo: si enim res non cognosceret ut sunt; hoc ipso circa illas scientificus non esset: & si cognoscens aliter diceret, quam sentiret non procederet ut scientificus, sed ut deceptor. Ecclesiæ item convenit utraque veritas: nam Ecclesiæ vera, nec in dicendo nec in cognoscendo falli potest. Cum tamen nec scientifici nec Ecclesiæ veritas, sit veritas summa. Ergo apparet in illis duabus veritatibus, non stare summam veritatis.

PROBATUR Secundo Argumento Negativo. Vel repugnat veritas prima in essendo condita à veritate in dicendo & cognoscendo, & in quam hæ duæ resolvantur vel non repugnat. Si repugnat. Contra. Tum quia non est, nec potest ostendi in hoc implicantia. Tum

quia veritas prima in essendo est perfectio simpliciter simplex: melius enim est esse veritatem primam per essentiam, quam per accidentem. Ergo est possibilis. Tum quia Si non daretur veritas prima in essendo, non resolveretur in esse, ipsum agere in eadem linea; agere enim reperitur in dicere, & noscere: & tamen agere sequitur ad esse: nec repugnat ut sequatur ad esse, in serie veritatis; adeoque ad veritatem in essendo. Si autem non repugnat hæc veritas, nec ullam dicit imperfectionem. Ergo datur in Deo. Hæc ipsa veritas in essendo jam data in Deo. Vel potest esse motivum fidei vel non potest. Si non potest. Contra. Tum quia nulla in hoc implicantia. Tum quia, Si illæ duæ veritates possunt esse motiva. Ergo & hæc, eo quod omnibus videatur hoc competere, ex generico prædicato veritatis. Tum quia Deo dicenti crede mihi: quia tanquæ veritas prima in essendo non possum te fallere, non posset certe dicere Creatura non es; nec posset creatura excusare. Nolo credere, vel non possum credere, quia est illegitimum motivum; unde enim illegitimitas illius? Si autem potest esse motivum. Ergo & est: quia incredibile est, in assignanda formalitate motiva fidei, repugnare in Deo, exclusisse aliqua Deum à ratione movendi fidem; quæ aliàs nata sunt movere. Et nisi oppositum revelatio, vel Auctoritas convincat, præsumendum est de Deo, quod egerit conformiter ad exigentiam suarum formalitatum, sicut & aliàs agit conformiter ad exigentias rerum, unde etiam inferitur finem à Deo primo intendi, deduciturque in tertia Parte, venturum fuisse Christum quantumvis Adam non peccasset, aliaque in aliis materiis inferuntur. Ergo cum aliàs veritas prima in essendo possit esse formalisativa fidei, de facto est, cum in oppositum nec auctoritas nec ratio urgeat.

PROBATUR Tertio. In quod resolvitur fides est motivum fidei; resolvitur in veritatem primam in essendo. Ergo. Minor probatur. In quod ipsa veritas Dei prima, quæ supponitur esse motivum fidei resolvitur in ratione veritatis, in illud etiam ultimò resolvitur fides. Sed veritas Dei resolvitur in ratione veritatis, in veritatem in essendo. Ergo etiam ulterius & fides in illam resolvitur. Major probatur. Ex conditione ipsius resolutorii; quia quod ipsum in ulterius resolvitur, non potest esse ultimum resolutorium; & esset enim ultimum ut supponitur, & non ultimum: quia ultra illud, ad aliud resolutorium procederetur. Minor principalis probatur. Quia si quæram quare nostra fides sit infallibilis; respondes, quia dixit qui in dicendo falli non potest; quæreret restat quamvis dixit qui falli non potest in dicendo, fortè tamen res non ita se habet, ut dixit? respondebis ita se habet: quia is qui dixit simul est veritas prima in cognoscendo, quæro quare is qui dixit res fidei

est veritas prima in cognoscendo? restat adhuc dicere in eadem linea veritatis, quod sit veritas prima in essendo, & habeat radicem, ex qua pullulent illæ duæ. Tum quia si veritas prima in cognoscendo & dicendo non resolveretur ultimo in veritatem in essendo, & esset illa veritas in essendo, & non esset: esset ut supponitur, non esset autem quia non esset prima & origo, & radix in ratione veritatis; cum tamen id nomine veritatis in essendo per explanationes capiatur. Tum quia in DEO veritas prima in dicendo & cognoscendo, sunt eadem indivisibilis & indivisa entitas, aliter & aliter à nobis concepta. Et sicut quia DEUS non potest fallere, habemus fundamentum concipiendi Deitatem sub formalitate veritatis primæ in dicendo: quia verò non potest difformiter rebus cognoscere, concipimus Deitatem sub formalitate veritatis in cognoscendo. Ergo etiam quia hoc illi utrumque competit per essentiam, & secundum exigentiam ejusdem essentialis, habemus fundamentum accipiendi Deitatem sub formalitate veritatis in essendo. His formalitatibus conceptis quæro, quænam ex his tribus per modum radices, in genere & formalitate veritatis concipi possit? Certè veritas in essendo; si autem illa est radix erit etiam resolutorium. Tum quia in illud resolvitur veritas Divina, consequenter & fides; quo solo relicto, & aliis circumscriptis mente nostrâ, adhuc dabitur radix reliquarum formalitatum, quæ convenire possunt veritati Divinæ: hoc enim intelligitur nomine resolutorii. Sed circumscripta mente nostrâ adhuc dabitur radix reliquarum formalitatum quæ convenire possunt veritati Divinæ: hoc enim intelligitur nomine resolutorii, sed circumscripta mente nostrâ à DEO, veritate in dicendo & cognoscendo, & relicta veritate in essendo, adhuc dabitur radix, ex qua pullulent reliquæ formalitates veritatis Divinæ. Ergo veritas in essendo est resolutorium. Minor probatur. Quia nihil plus intelligitur per veritatem in essendo nisi illa radix, hinc si non esset illa radix, & esset veritas in essendo ut supponitur; & non esset veritas in essendo: quia non haberet conceptum ejusdem explicatum, per esse Radicis. Ecce certè, ex esse effluit & cognoscere & dicere. Ergo & ex esse seu veritate in essendo effluit veritas in dicendo & cognoscendo tanquam essentialiter conveniens, veritati in essendo.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJECITUR Primò. Fides humana ultimo resolvitur in veritatem in dicendo & cognoscendo. Ergo & fides Divina.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia cum dicere & cognoscere, non sit de essentia hominis, veritas illius non debet resolvì in veritatem in

essendo. DEO autem verum dicere & verè noscere essentialis est. Rursus. Cum fides humana non sit summè infallibilis, resolutorium illius non debet referri in summè infallibile, & essentialiter verum principium? Cum autem fides Divina, sit summè infallibilis, ultimum resolutorium illius debet esse summè infallibile; quia verò distinctio harum veritatum in DEO, pendet à nostris conceptibus, sit, ut talem debeamus veritatis primæ conceptum (in quem resolvatur fides) formare, qui ex sua formalitate, in ordine veritatis, maximam & ultimam infallibilitatem importet: hæc autem non alia est, nisi veritas in essendo.

INSTABIS Primò. Veritas in dicendo hoc ipso quia est prima, involvit illas reliquas duas. Ergo in illam quæ talem, resolvì potest fides.

RESPONDETUR. Veritatem in dicendo secundum quod prima est, involvere illas duas; sed non secundum quod veritas in dicendo est. Quod involvat secundum quod prima est. Probatur quia hoc ipso quod prima sit, Divina est. Si Divina, identificabit sibi realiter omnes formalitates; Sed non involvit eadem secundum quod veritas in dicendo est; quia sic accepta dicit nonnisi rationem communem veritatis in dicendo, quæ quæ talis non identificat sibi veritatem in cognoscendo & essendo: quia aliàs etiam in Creatis idem importaret. Quod si veritas in dicendo quæ talis non importat reliquas, quæ talis, non diceret summam infallibilitatem & ultimam, adeoque non erit ultimum resolutorium. Unde veritas prima in dicendo, involvit illas duas realiter; sed non involvit cum exclusionem ulterioris resolubilitatis in ordine ad nostros conceptus; de facto enim resolvì potest in alias veritates ut dictum. Si resolvì potest, non erit objectum formale ultimo resolutive.

INSTABIS Secundò. Non posse ostendiquid dicat veritas prima in essendo, quod non dicat veritas in dicendo.

RESPONDETUR. Nihil plus in re dicere; tamen in ordine ad nostros conceptus secundum dictas explanationes, plus dicit. Jam autem in resolutorio assignando, non est attendendum ad id, quod est aliqua formalitas in re: aliàs fides posset resolvì in immensitatem Dei; hæc enim in re, est veritas Divina.

INSTABIS Tertiò. Si inquiritur ratio ultima secundum conceptum nostrum, hæc non erit veritas in essendo, sed Deitas.

RESPONDETUR. Quod Deitas sit ultimum resolutorium veritatis Divinæ in ratione Entis, sed non in ratione & formalitate Veritatis; hic autem non quæritur de ultimo resolutorio.

(c)

torio in ratione Entis, sed in linea & formalitate Veri.

OBJICITUR Secundò. Deus quatenus prima veritas, est objectum formale fidei. Deus quâ Deus, est veritas prima. Ergo Deus quâ Deus, est objectum formale fidei. Ergo non quatenus est veritas prima.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam: quia Argumentum habet quatuor terminos desumptos à diversitate suppositionis. Nam veritas prima in Majori reduplicativè sumitur; adeoque in suppositione formali. In Minori autem sumitur non reduplicativè, adeoque in suppositione materiali: Deus enim quâ Deus, nonnisi materialiter dicit veritatem primam. Distingui etiam posset Major: Deus quatenus est formaliter veritas prima est formale fidei. Concedo, Deus quatenus est materialiter veritas prima, est objectum formale fidei Nego. Distinctaque Minori consequentiam Nego.

OBJICITUR Tertiò à Pari Cognitio respectu bonitatis finalisantis, non se habet ut ratio formalis. Ergo nec veritas in cognoscendo, respectu fidei. Ergo multo minus veritas in essendo.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia non est eadem formalitas communis bonitatis & cognitionis; hinc bonitas in cognitionem, idque in præcisa & formali ratione boni, resolvi non potest. Jam autem veritas in dicendo, cum veritate in cognoscendo, conveniunt in ratione formali & præcisè veritatis; & ex altera parte, veritas in cognoscendo pro sua parte, non est quid impertinens ad fidei assensum quâ talem; sed completivam illi rationem, deservientem infallibilitati ejusdem, adferre potest. Præcisa autem cognitio, appetitui quâ tali, non tribuit ullam completivam rationem. Rursus cum cognitum spectet ad intellectum, volitum ad voluntatem; impertinens est, ut ratio formalis unius potentie, compleat rationem formalem aliûs potentie. Cum autem assensus fidei sit assensus intellectualis, intellectus autem extendatur & ad verum dictum & ad verum cognitum, hinc casu quo spectet veritas in cognoscendo ad assensum fidei, complebit eundem, non tanquam quid alterius potentie, sed tanquam quid referibile, ad eandem rationem fidei.

OBJICIT Quartò Pontius disp. 27. quæst. 2. qui tam veritatem in cognoscendo, quam in dicendo, multo magis in essendo, quam in dicendo, multo magis in essendo, rejicit à ratione objecti formalis fidei: quia etiam si proponeretur Deus (supple veritas in essendo) ac veritas ejus, non posset propterea moveri intellectus, nec inclinari ullo modo ut credat Antichristum esse venturum; quam enim connexionem habet veritas in essendo aut veritas ejus, cum Antichristo venturo, quandoquidem Deus & veritas illius possent esse, quantumvis Antichristus non esset futurus.

RESPONDETUR. Quamvis proponeretur Deus & veritas ejus nonnisi in actu primo, hoc est, potens dicere vel non dicere Antichristum venturum, non posset propterea intellectus moveri ad assentiendum quòd Antichristus sit venturus: secus si proponatur veritas Divina exercens se in actu secundo, circa objectum hoc, quod est adventus Antichristi. Et sicut cognitio Divina, habet nexum cum objecto: ita & veritas in essendo dicit connexionem confirmabilitatis essentialis cum meritis objecti: ut scilicet casu, quo velit Deus revelare Antichristum venturum, essentialiter determinetur, ad verè nonnisi & verum dicendum.

INSTAT Idem. Si prædictæ veritates essent essentiale formale fidei, non requirerent aliam applicationem objecti formalis motivi, quam quod cognoscantur, ut patet in aliis omnibus objectis motivis. Nec potest concipi aut explicari, quare ratione veracitas Dei, objecto alium materiali uniatur.

RESPONDETUR. Instantiam multum probare: quia probaret ad assentiendum fidei humanae v. g. Imperatori, non esse plus necessarium, quam cognoscere veracitatem ejus in dicendo. Quod si recurrat ad veracitatem in dicendo exercitam in actu secundo circa hoc objectum: idem & nos faciemus. Supponimus autem, quòd nonnisi in actu secundo exercita, veritas prima in dicendo v. g. sit motum fidei.

Quæ ipsæ veritates uniuntur seipsis objecto materiali v. g. exercendo se, & dicendo hanc contradictionis partem, licet ad hoc requiratur revelatio extrinseca; de qua infra.

OBJICIT Quintò Idem. Multi ex simplicioribus Catholicis egregè & utiliter credunt, & tamen non cognoscunt Deum habere eque modi veritates.

RESPONDETUR. Dum quæritur de formalis fidei; non quæritur de eo quid rudiores Catholici explicitè credendo apprehendant. Sed quæritur ex objecto, in quid resolvenda sit fides? Sufficitque quod fideles rudiores implicitè noscant, apprehendendo de revelatis, quòd sint verbum Dei veri.

INSTAT Primò. Etiam Catholici Doctores putant Deum non habere talem veracitatem existimant enim de potentia absoluta, Deum posse mentiri absque imperfectione.

RESPONDETUR. Proponi hanc Conclusionem tanquam probabilem, contra opinionem quæ censurantur. Et etiam si requere hoc ipsum apprehendant rudiores, parum refert nam veritas aliquorum Catholicorum, non impedit quominus de altioribus objectis docti discerant, quia rudes nec terminum *objectum formale fidei*, norunt, & tamen de hoc formali discerimus.

INSTAT Secundò. Quod ii etiam Theologi censent DEUM non posse mentiri, nihil minus

minus si velint fateri verum, concedent se id ipsum non concipere actu, quoties id credunt fide Divina.

RESPONSUM supra, quod id sufficiat concipi implicitè: quod nemo negabit se concipere, quotiescunque dicit Credo.

INSTAT Tertio. Credimus quandoque hominibus quamvis non cogitemus tunc, an sint veraces. Ergo similiter possumus credere Deo.

RESPONDETUR. Etiam in fide humana implicitè attingitur veracitas; Interrogatus enim quis quare credat? recurreret ad hoc, dicens, est dignus fide. Paritas etiam non tenet: quia sicut non raro evenit fidem humanam falli: ita non raro evenit, ut imprudenter præsteretur. Fides autem Divina quâ talis, imprudenter elici non potest; & cum sit summè infallibilis, necessariò debet servare omnia ad infallibilitatem requisita; quorum primum est, infallibilitas summa motivi.

DIFFICULTAS IV.

*An Deitas quâ talis sit ratio formalis
Que Fidei?*

SECUNDUM dicta de distinctione virtuali, indubiè in consortio aliorum attributorum, Deitas est motivum fidei: cum enim identificata sit realiter triplici illi veritati, idque cum exclusionem distinctionis virtualis, quod triplici illi veritati competit in sensu formali, competere debet Deitati in sensu reali. Sed eo jure etiam ubiquitas Dei, & cætera similia, specificant in sensu reali fidem; aliàs si non specificarent in sensu reali, distinguerentur virtualiter. Difficultas ergo procedit de Deitate quâ tali, præcisa ab attributis; an tamen ipsa sit formaliter motivum formale fidei.

DICENDUM quod non. Est Contra Ripalda citantem Cajetanum & Aureolum disp. 2. num. 101.

PROBATUR Primo. Pone per impossibile alium specie Deum, essentialiter mendacem; habere tamen esse à se aliasque perfectiones, per impossibile. Vel si mavis, pone per impossibile potentem mentiri: vel præteritum Deum facere per impossibile decretum, non nisi de mentiendo & fallendo: constareque creaturæ intellectuali de exercitio mendacitatis; hoc posito, formatur disjunctiva. Vel posset adhuc illa excellentia præcisè Deitatis, movere ad assensum; vel non posset. Si posset. Ergo intellectus non necessariò assentitur vero, sciens enim Deum mentiri, adeoque oppositum esse verum ei, quod dicit; nihilominus diceret esse verum: assensus enim est æquivalenter dictio importans *ita est, vel Verum est*. Rursus si posset tunc intellectus assentiri, in assensu suo admitteret duo contradictoria: admittere enim in assensu est verum, quia non est verum, est admittere in assensu duo contradictoria. Sed assentiri sciendo

quod mendacium, aut potius falsum sit, est admittere in assensu, est verum, quia non est verum. Ergo assentiri sciendo, quod mendacium seu falsum sit, est admittere in assensu duo contradictoria. Minor probatur quia assensus ut dixi est quædam dictio importans *verum est*, assentiri autem: quia mendacium seu falsum est, est assentiri, quia non est verum. Ergo assentiri sciendo quod mendacium sit, est admittere in assensu, est verum quia non est verum. Quod si residua illa excellentia Deitatis non posset movere ad assensum. Ergo neque nunc movere formaliter potest, quâ talis. Probatur Consequentia quia utrobique residuum, seclusa veridicitate est idem, nempe Deitas. Ergo si semel movere non potest; nec alias movebit, bene enim arguo. Veridicitas si semel non est nata habere assensum; quantum ex illa, semper nata est non habere; propter principium. Idem manens idem, semper est & facit idem: Ratio item formalis dum est, semper est ratio formalis: quia esse rationem formalem, non est quid distinctum, ab ipsamet illius entitate.

RESPONDEBIS Primo. Argumentum esse à faciliiori ad difficilius via affirmationis. Nam habere prædicatum essentiale vel ex adjuncto fallendi, & tamen mereri assensum difficilius est, quàm præcedere à veridicitate & tamen mereri assensum.

CONTRA. Tum quia non est à faciliiori ad difficilius, sed in eodem argumentum: quia non comparatur præciscendia veridicitatis, ad conjunctionem cum falsidicitate, sed utrobique spectatur eadem remanentia Deitatis. Cur ergo utrobique non merebitur assensum. Sicut si albedo est ratio formalis dealbandi, etiam juncta nigredini, est ratio formalis dealbandi. Tum quia Conjunctio non veridicitatis cum Deitate, fundat ut Deitas mereatur per te dissensum, quod majus est. Ergo etiam separatio veridicitatis per intentionem saltem, fundabit, nec illi consentiatur positivè, quod minus est. Licet autem est argumentari ad minus, via affirmationis in eadem linea. Tum quia Conjunctio non veridicitatis, expellit physicè veridicitatem; mereturque dissensum. Ergo & præcisio veridicitatis, quæ illam expellit intentionaliter, saltem fundabit, ne mereatur assensum.

RESPONDEBIS Secundo ex principiis Ripalda, Deitatem non utcumque, sed ut est exigens opponi cuicumque imperfectioni, adeoque mendacio, esse formale fidei.

CONTRA. Tum quia jam & sumeretur Deitas præcisè ut supponitur, & non præcisè, sed sub formalitate opposita falso; imò sumeretur pro eodem, ac veritas prima in essendo. Tum quia videtur implicare fides, quæ habeat pro motivo, Quia dicitur verum: videtur enim implicare amor, qui amet, quia non est

(c) 2

malum,